



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio IV. Quænam opinio censenda sit probabilior?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

cap. Per tuas, 2. de Simonia, Villalob. tomo 1. tract. 1. diff. 6. num. 1. Navar. Concil. 2. de Pœnit. & remiss. P. Azor. tomo 1. lib. 2. cap. 17. quæst. 4. quos citat, & sequitur P. Pal. d. 2. de Conscient. pun. 1. n. 4.

Colliges secundò, non idem dicendum, si opinio sit alicujus Doctoris antiqui; siquidem cum talis opinio, licet suo tempore fuerit probabilis, poterit evenire, cum jam sit antiquata, quod censetur communiter reprobata à Sede Apostolicâ, aut quod habeat contra se legem, aut decretum, quæ ipse scribens non attendit, & quibus Neoterici convicti jam contrarium asserunt; sicque homo rudis, & indoctus ejus dictis aded fidere non debet. Ita P. Vass. 1. 2. d. 62. cap. 4. num. 17. & 18. Villalob. cit. num. 1. P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 9. num. 10. & 11. Sayr. clavi lib. 1. cap. 5. n. 6. P. Pal. cit. n. 4.

Colliges tertio, ut opinio alicujus Doctoris sit probabilis, non sufficit illam perfunctoriè, & incidenter tractare occasione alicujus argumenti; siquidem quæ ita dicuntur, fortè ad colorem, & non ad probationem dicuntur. Confirmatur, quia sic confessio incidenter, & ad alium finem facta, non præjudicat reo confitenti ex Gloss. in cap. Pœnitentibus, dist. 50. & Doctorib. in cap. At si Clerici, de Judic. in princip. ergo debet resolutoriè tractari.

Colliges quartò, multò minùs sufficere, si solum indice libri contineatur: tum quia indices librorum non magnâ Authorum curâ sunt inspecti: tum etiam, quia sæpè sæpius Authoris non sunt, sed alterius tertii. Si tamen in indice ratio conclusionis apponatur, posse tunc talem opinionem ut probabilem sequi, docet Joan. Sanchez d. 44. num. 69. neque improbat P. Pal. cit. num. 5. siquidem tunc ferè idem est, ac si in corpore libri contineretur.

Colliges quintò, ad faciendam opinionem probabilem non sufficere factum alicujus viri docti, & pii, sive religiosi: tum quia sæpè ad id faciendum moventur, aut ex dispensatione in lege, aut ex aliqua passione, aut ex inadvertentiâ: tum etiam, quia religiosus non semper operatur, quod est honestum: Sufficeret tamen, si id plures religiosi sine scrupulo operarentur. Ita P. Pal. cit. num. 6. Joan. Sanchez. cit. num. 71.

Colliges sextò, indoctos, & rudes, ut forment iudicium de probabilitate opinionis, & secundum illam honestè operentur, satis esse, si à viro docto, & prudenti audiant id licere; siquidem non tenentur alios consulere; alioqui in locis, ubi non est, nisi unus Parochus (quem suppono esse virum doctum, & prudentem), numquam tales homines possent suos scrupulos deponere, tenerenturque peregrinari pro eorum resolutione, quod tamen esset gravissimum onus eis imponere. Ita P. Sanchez. lib. 1. decal. cap. 9. num. 8. P. Azor. tomo 1. lib. 2. cap. 17. quæst. 5. Henrig. quodlib. 4. q. 33. Conrad. P. Arriaga d. 24. de Actib. human. sect. 3. n. 10. & alii.

Dubium tamen est: Utrum eadem probabilitas, quæ sufficit pro rusticis, & indoctis, sufficiat etiam pro doctis, & sapientibus? idest; Utrum sicut rusticus potest acquiescere dicto sui Parochi, quin examinet rationes, aut alios consulat viros doctos, ita etiam homo doctus possit eodem modo acquiescere consilio sui Parochi? Dico 2. Vir doctus absolute loquendo, non potest eodem modo, ac vir rusticus, & indoctus dicto solius Parochi acquiescere. Ita P. Sanchez. lib. 1. Decal. cap. 9. n. 8. P. Bard. cap. 5. Probatur, quia rusticus, cum non possit per se ipsum rationes investigare, in testimonio solius Parochi habet sufficiens fundamentum ad formandum iudicium prudens de opere faciendi; sed hoc non habet vir doctus; siquidem per studium potest

veritatem acquirere; ergo tenetur majorem adhibere diligentiam, quam rusticus ut veritatem agnoscat.

Dico 3. Quando Parochus, vel Author opinionis singularis est vir doctus, & prudens, affirmatque se diligenter ponderasse illam opinionem, & rationes illius, potest etiam alius vir doctus fidem illi præstare absque alio examine. Ita videtur sentire P. Sanchez cit. proximè, & tenent P. Arriaga d. 24. de Actibus human. num. 11. P. Granad. & P. Bard. cit. cap. 5. Probatur primò, quia tunc autoritas illius viri non est fundamentum leve; siquidem præsumitur habere rationem maturè excogitatum; ergo potest alius vir doctus tunc illam opinionem sequi sine alio examine; potest enim reputare ex hominis docti, & pii sententiâ reddi opinionem probabilem, secundum quam prudenter operari potest.

Probatur secundò, quia si vir doctus non posset alterius viri docti, & probi opinionem tunc sequi, quin expenderet rationes, & alios viros doctos consulere, ferè nihil censeretur valere autoritas illius primi viri docti; sed hoc non est admittendum; siquidem opinio illa non leve habet fundamentum in doctrina illius viri docti, & pii ita consuleatis; ergo &c. Confirmatur, quia si P. Soar. doceret (quod non docet, ut falsò asserit Torreblanca apud Leand. tract. 4. de Sacram. d. 1. quæst. 5. contrarium enim docet romo 3. in 3. part. d. 6. sect. 1. §. Dico secundò,) esse obligationem gravem, & de necessitate præcepti, sumere Extremam. Unctionem, cum tamen hoc sit contra omnes ferè Doctores, ut videre est apud Leand. cit. adhuc quilibet vir doctus sine aliquo examine posset judicare probabilem talem opinionem auctoritate, & ratione tanti Doctoris fundatam; ergo &c.

## SECTIO IV.

### Quanam opinio censenda sit probabilior?



IXIMUS jam quanam sit opinio probabilis, seu quid ad probabilitatem efficiendam requiratur: Nunc inquirendum nobis est, quando de unâ, & eadem re sunt duæ opiniones probabiles, quanam ex illis dicenda sit magis probabilis, v. g. opinio probabilis est, quod circumstantiæ aggravantes intra eandem speciem non sunt necessariò confitendæ: similiter est etiam opinio probabilis, quod sunt necessariò confitendæ, ut videre est apud Dian. part. 1. tract. 7. resol. 1. Ubi pro utraque parte multos adducit, & citat: Quæritur modò unde agnoscendum sit, quanam ex his opinionibus sit dicenda probabilior?

Advertendum est primò, opinionem probabilem dividi in probabilem simpliciter, & probabilem secundum quid, ut tradiderunt Rodrig. tomo 4. sum. cap. 83. num. 1. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica sect. 5. num. 43. & P. Perez dub. 2. notab. 2. cap. 6. Opinio probabilis simpliciter est illa, quæ communiter respectu hominum, qui illius notitiam habent, probabilis habetur; utpote qui illius fundamenta, & rationes congruas agnoscunt: Opinio verò probabilis secundum quid, sive respectu operantis, est illa, cujus fundamentum non est communiter notum, sed soli operanti. Secundò, contingere aliquando, quod opinio simpliciter probabilis, improbabilis sit respectu hujus, aut illius: sicut etiam quæ probabilis est respectu hujus, aut illius, aliquando improbabilis

probabilis iudicatur ab omnibus.

61. Tertiò, quæstionem propositam non procedere de opinione, quæ dicitur probabilis secundum quid, seu respectu solius operantis; siquidem in hac non potest assignari certa regula majoris, aut minoris probabilitatis, ut patet ex proximè dictis; sed procedere quæstionem de opinione simpliciter probabili, qualis est, ut diximus, illa, quæ communiter habetur probabilis ab his, qui illius notitiam habent; sic probabilis simpliciter est opinio illa, quæ docet, rem acceptam, & consumptam in extrema necessitate non obligare ad restitutionem, etiamsi homo illam sic accipiens, & consumens, postea veniat ad meliorem fortunam. Vide *P. Less. lib. 2. de just. cap. 16. dub. 1. n. 7. P. Azor. tom. 3. lib. 4. cap. 39. §. Altera difficultas, & P. Fagun. lib. 7. de cal. cap. 26. His politis.*
62. Dico 1. Quoad probabilitatem intrinsecam, siye attento solo fundamento rationum, illa opinio censetur probabilior, quæ nititur melioribus, & solidioribus rationibus. Ita *Conrad. q. ult. de Contract. Cordub. lib. 2. q. 3. dub. post. 3. proposit. P. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 13. ad finem. P. Sanch. lib. 1. de cal. cap. 9. n. 5. & lib. 3. de Matrim. d. 44. num. 2. Joan. Sanch. d. 44. num. 68. P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 1. n. 7. Probatur primò ex l. Deo auctore. C. de veter. jur. enucleand. & cap. Capellanus de Feris. Ubi duæ fuerunt opiniones Pontifici propositæ, & posteriorem elegit, quia meliori, inquit Pontifex, & subtiliori ratione nitetur. Secundò, quia ratio congrua facit opinionem simpliciter probabilem; ergo quòd ratio fuerit congruentior, eò opinio erit probabilior.*
63. Dico 2. Quando una opinio nititur majore auctoritate, alia verò meliori ratione, illa probabilior censetur regulariter, quæ meliore ratione fundatur. Ita Doctores proximè cit. *Tabiena verbo opinio, §. 3. Angel. §. 1. Sylvest. ibid. q. 2. & alii. Probatur primò ex l. Deo auctore, & cap. Capellanus cit. ubi etiam loquitur de præsentis quæstione, ut ibi videri potest. Secundò ex illo Exod. cap. 23. ubi Dominus in veteri lege præcepit: In iudicando, inquit, plurimorum sententia non acquiesces, ut à vero devies: quasi dicat ut ad veritatem rationum, non ad auctoritatem dicentium attenderent. Tertiò, quia, ut supra diximus, ratio est efficacior ad persuadendum, quàm auctoritas humana; siquidem hæc totam vim haurit ab illa; ergo opinio innitens meliori ratione vincet in probabilitate opinionem innixam majore auctoritate, cum habeat efficacius, sic solidius fundamentum.*
64. Dixi regulariter, quia si auctoritas tanta sit, ut superet rationem, tunc opinio, quæ in majore auctoritate fundatur, erit probabilior iudicanda, in quo sensu locutus est Philosophus, *lib. 2. Topicor. cap. 1. dum dixit, probabiliora esse, quæ videntur omnibus, vel plurimis, vel sapientibus, & iis, vel omnibus, vel plurimis, vel maxime notis, & illustribus.* Advertit tamen *P. Pal. cit. n. 8.* non esse tunc probabilioris præcisè, quia à pluribus defenditur, sed quia præsumi debet, efficacioris pro se habere rationem, quatenus ad illam defendendam plures conspirarint.
65. Dico 3. In rebus, quæ habent dependentiam à jure humano, illa opinio est probabilior, quæ pro se habet legem, aut decretum magis expressum; aut consuetudine magis recepta probatur. Ita *Conrad. Cordub. Sylvest. Tabien. Angel. cit. P. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 10.* Probatur, quia in iis, quæ pendent à jure humano, ratio seu causa veritatis, est lex, aut decretum humanum, aut consuetudo

legitimè præscripta; ergo in his illa erit opinio probabilior, quæ pro se habuerit legem, aut decretum, aut consuetudinem legitimè præscriptam.

Dixi, aut consuetudinem legitimè præscriptam, quia aliquando contingit, ut lex humana, vel decretum per contrariam consuetudinem sit abrogatum; sic enim Jus Canonicum præcipit, ne unus in eadem Ecclesia simul habeat duo beneficia; hodie tamen jam usu receptum est in Gallia, Germania, Hispania, & Lusitania, quod unus tutà conscientia in eadem Ecclesia possit simul dignitatem, & canonicatum habere. Ita *P. Azor. cit. loco,* ubi multa alia exempla adducit de hac re, nempe de habente beneficia simplicia non residente: De tria Missarum sacrificia celebrante in die Natalis Domini ante lucem diurnam: De Parocho dante facultatem sibi subdito, nè jejunium fervet, aut ut opus servile faciat in die Festo: De quatuor Minoribus ordinibus suscipiendis eodem die: De damnatis ad mortem, an eis possit justè Eucharistia denegari: De refectiuncula vespertina in die jejunii; & alia similia.

Dico 4. Quando opiniones versantur circa aliquid, quod fundatur in revelatis, illa est probabilior, quæ est revelatis conformior. Ita *Cordub. Conrad. cit. Rodrig. tom. 4. sum. cap. 33. num. 3. & alii.* Probatur, quia prima regula veritatis est revelatio divina; ergo quod illi fuerit conformior, erit verior, sicque probabilior.

Dico 5. Opiniones illorum sunt ut probabiliores præferendæ, qui plus in earum studium incubuerunt, & magis ad eorum professionem spectant, dummodò cætera sint paria. Ita *Conrad. cit. in 3. caus. Cordub. cit. in 2. causa, P. Gil. tract. 7. cap. 12. n. 7. Rodrig. cit. P. Perez. supra dub. 2. notab. 1.* Probatur, quia peritis in propria arte credendum est; siquidem unusquisque in propria facultate est fide dignior, quàm qui illam non profitentur; ergo &c.

Hinc colliges primò, quando controversia est inter Theologos, & utriusque juris Peritos, si sit de re, quæ pertineat ad jus divinum, aut naturale, Theologorum opinionem ut probabilioris esse sequendam: secus tamen si materia spectet ad jus humanum, tunc enim opinio Canonistarum censetur probabilior; sicut & Legistarum, si materia fuerit Juris civilis.

Patet exemplo, opinantur communiter Canonistæ, primam tonsuram, & Episcopatum esse ordines à cæteris distinctos; consequenterque esse novem ordines Ecclesiasticos: Theologi autem è contra communi consensu tradunt esse tantum septem ordines, ut videre est apud *P. Agid. de Sacram. d. 20. dub. 2. n. 6. & 7.* in hac autem controversia opinio Theologorum est probabilior; siquidem quæstio est de re spectante ad jus divinum; de hoc autem agere, potius ad Theologos, quàm ad Canonistas spectat.

Hoc idem dicendum, si res, de qua agitur, pertineat ad jus naturale. Ita *P. Azor. tom. 3. lib. 1. c. 4.* siquidem jus naturale consistit in illis præceptis naturæ generalissimis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Deus est diligendus super omnia:* ex quibus, aliisque similibus deducuntur præcepta Decalogi, quæ in Sacris Scripturis reperiuntur Exod. 20. Matth. 19. & alibi; Scripturas autem exponere Theologorum est, & non Juris peritorum, qui actiones humanas solum considerant in ordine ad leges positivas humanas; ergo probabilior erit de hac re opinio Theologorum, quàm Canonistarum: sicut etiam probabilior est Theologorum opinio

opinio asserentium, non posse Pontificè dispensare in jure naturali, quàm Canonistarum contrarium dicentium. Vide *P. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 17. q. 3.*

72. Colliges secundo, in rebus pertinentibus ad Jus Pontificium, probabiliorem esse opinionem Canonistarum, quàm Theologorum; idemque dicendum de opinione Juristarum in re civili, & ad forum externum spectante. Semper tamen præferenda est Theologorum opinio, quando disputatur: Utrum hoc liceat, aut non liceat? siquidem hujusmodi quæstiones spectant ad forum internum, de quo specialiter tractant Theologi: sicque utrum liceat captivis Christianis remigare contra alios Christianos? Probabilior est opinio Theologorum id affirmantium, quàm Juristarum id negantium. Vide *P. Azor. tom. 3. lib. 2. cap. 3.*

73. Colliges tertio, Theologos morales præferendos esse speculativis in casibus conscientiarum; siquidem de moribus ex professo tractarunt; hi autem de speculativis. Colliges quarto, universaliter omnes, qui diligenter ponderant quæstiones, in quibus opinantur, præferendos esse iis, qui obiter suam proferunt sententiam. Ita *P. Sanch. lib. 3. de Matr. d. 44. n. 2. & patet ex supra dictis n. 52.*

74. Colliges quinto, Authores, qui non tam autoritate ducuntur, quam ratione fundamenta expendunt, præferendos esse illis, qui abstrantes auctoritatem sufficere pro ratione. Undè prudenter asseruit *Navar. in Manual. cap. 21. n. 289. & approbant P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 9. n. 9. P. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 13. q. 1. & P. Gil. tract. 7. cap. 13. num. 3.* probabiliorem esse opinionem, quam sequuntur sex, aut septem Authores Classici, re diligenter examinata, quàm probatam à quinquaginta, qui priorum vestigia instar avium sequentes, nullâ discussione præmissâ, illam inculcant, & tradunt.

75. Dico 6. In materia theologica (idemque in aliis,) illa censetur opinio probabilior, quæ docetur à sapientioribus Theologis, & ab illis, qui veriores regulariter fuerunt deprehensi in opinando. Ita *Conrad. in 1. caus. Cordub. ibid. Rodrig. tom. 3. sum. cap. 205. num. 4. & alii.* Probatur, quia de Sapientioribus, & regulariter verioribus melius præsumitur, quàm de minùs sapientibus, & veris; ergo &c.

76. Dico 7. In materia fidei, & morum, cæteris paribus, illa opinio est probabilior, quæ defenditur à Doctoribus Sanctioris vite. Ita *Conrad. cit. in 2. caus. Cordub. in 4. Rodrig. cit. & P. Gil. cit. cap. 12. n. 5.* Probatur primò ex illo *Eccles. 37. num. 18. ibi: Anima viri Sancti enuntiat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.* Secundo, quia vitæ sanctimonia apud Deum specialem meretur illuminationem, & signanter castitas, & virginitas: Undè *D. Joan. Evangelista* inter Apostolos fuit specialiter à Christo Domino dilectus, & altius de divinis locutus fuit, ut dicit *D. Petr. Damian. serm. 1. de D. Joan. ibi: Non immeritò tam profunda, tam supereminens revelatio Deitatis virgini Joanni debebatur.* Tertio, quia sicut viri probi minùs errant in exercitio operum personalium, ita etiam minùs errant in doctrina; siquidem ut dicitur *Psal. 110. Initium sapientie timor Domini;* ergo &c.

77. Dico 8. Probabilior censi debet opinio eorum, qui sine passione censent, quàm opinio, quæ licet plures habeat patronos, illos passione aliqua laborantes habet. Ita *Conrad. cit. in 4. caus. Cordub. in 3. caus. Favetque Rodrig. cit.* Probatur, qui passio pervertit judicium, ne videat veritatem juxta illud

Tom. 2.

*Prov. 17. 20. Qui perversi cordis est, non inveniet bonum.* Et idem dicit *Seneca apud D. Antonin. 1. p. cap. 10. §. 3. Perit, inquit, omne judicium, cum res transierit in affectum;* ergo &c.

In hac igitur regula comprehenduntur: Primò, qui spe lucri proferunt suam opinionem; sicque Juris peritis, qui scribunt per modum lecturæ, magis credendum est, quàm Advocatis, hi enim trahuntur pretio, & lucro ad patrocinandam causam sui clientis. Secundo, qui sola æmulatione ducti aliorum opiniones damnant, solum ut ipsis contradicant. Tertio, qui amoris passione acti, aliquem Magistrum tanquam ducem sequuntur instar avium, quarum plures unam præcedentem insectantur; sic enim nobilissima Dominicanorum familia *D. Thomam;* Observantissima Franciscanorum Religio subtilissimum Scotum defendunt, & Recentiores aliqui *Ochami,* & Nominalium sententiis subscribunt, quorum tamen auctoritas, ut supra diximus, supra probabilitatem, quam opinio habet ex suo duce, aut nihil, aut parum addit: tum quia non satis utriusque partis fundamenta examinant: tum quia, licet considerent, non ita libero, sed ligato judicio ad Magistrum, quem defendere profitentur, illa considerant; sicque oculis retortis.

Dico 9. Opinio Antiquorum probabilior est opinio Recentiorum, dummodò cætera sint paria. Ita *Rodrig. tom. 4. sum. cap. 83. n. 3. Lud. Lopez. 1. p. cap. 288. §. 1. Cordub. in 5. caus. sine,* & apud illum *Gerson. tr. vita spirit. lect. 4. corol. 9. Angel. verb. opinio. §. 1. Sylvest. ibid. q. 2. P. Perez. cit. dub. 2. cap. 6. notab. 1. & alii.* Probatur, quia, cæteris paribus, negari non potest, quod ipsa temporum diurnitas aliquam dignitatem, & auctoritatem asserat; ergo si cætera sint paria, opinio Antiquorum præferenda est ut probabilior.

Hinc est, quod opinio veterum Doctorum asserentium, rem alienam inventam non posse licite retineri ab inveniente, si dominus non compareat post factâ diligentiam, sed debere pauperibus, aut aliis piis operibus impendi, ut docent multi apud *Dian. p. 2. tr. 17. resol. 5. & tenent P. Less. lib. 2. de just. cap. 14. dub. 7. n. 49. cum D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 3. Covar. regul. Peccatum 3. p. §. 1. n. 1. P. Mol. tom. 3. d. 746. n. 2. & alii,* præferenda est ut probabilior sententiæ, & opinioni Recentiorum, qui asserunt, posse licite retineri, ut asserit *Sot. lib. 5. de just. q. 3. art. 3. ad 2. & cum aliis Dian. proximè: Primò,* quia est ferè communis. Secundo, quia magis favet pietati. Tertio, quia hæc est apud pios consuetudo, quæ habet vim legis. Quarto, quia est magis consentanea juri communi, ut probat *P. Less. cit.* Neque qui sic restituit, tenetur postea domino comparenti iterum restituere; sicut neque tenentur ipsi pauperes, quibus in eleëmodynâ data fuit res inventa, si consumpta, aut alienata jam fuerit; maxime verò si adhuc apud ipsos extet; sicut tenentur illi, apud quos alienata extiterit. Ita *P. Mol. cit. num. 3.*

Dico 10. Major Doctorum numerus, cæteris paribus, majorem conciliat probabilitatem. Ita *Conrad. & Cordub. in 5. caus. Lopez. cit. cap. 287. §. Ex his fundamentis. Navar. in manual. cap. 27. num. 286. Angel. verb. Opinio, §. 1. Major in 4. quæst. 2. Prolog. concl. 5. Rodrig. cit. & alii.* Probatur primò ex illo *Proverb. 11. ibi: Salus autem ubi multa consilia.* Secundo, quia plus vident plures oculi, quàm unus; ergo plus probabilitatis efficiunt multorum judicia. Hinc est, quod probabilior est, quia plures habet Doctores, opinio asserens, quod quando excom-

municatio

K

municatio est ad instantiam partis, v.g. Petri, ut Paulus sibi solvat intra decem dies, aliter incurrat excommunicationem ipso facto, possit Petrus terminum illum prorogare, & Paulo longius spatium concedere, etiam iudice excommunicationis id ignorante, quam est opinio contrarium affirmans, ut videre est apud P. Fagund. lib. 8. decal. cap. 52. n. 20.

### SECTIO V.

#### Quanam opinio dicenda sit communis & tutior?

82. **D**ico 1. Ut aliqua opinio sit, & dicatur communis, debet habere pro se plures Authores classicos, qui eam ex professo discutiant, non autem perfunctoriè, & incidenter, ut supra diximus, & sufficere si sint sex, aut septem classici, licet pauciores sint aliis non classicis, qui oppositam defendunt, dummodò præmissò rationum examine, illam affirmant. Ita Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 71. num. 39. Alciat. de præsumpt. reg. 1. præsumpt. 51. num. 5. vers. Inzellige, Navar. sum. cap. 27. num. 289. P. Sanch. lib. 3. de Matrim. d. 44. num. 2. P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 1. num. 10. P. Bard. discept. 4. cap. 3. & alii apud illos. Quinam sint Authores Classici? Sunt illi, quorum autoritas approbata est in scholis; horum autem longissimam seriem invenies apud P. Azor. tomo 1. lib. 2. cap. 14. ubi tam Theologos, quam Canonistas, & Juristas adducit.
83. Hinc colliges primò, opinionem communem dici posse, quæ asserit, posse Clericum accusare crimina commissa contra se, aut bonum commune, etiam in causâ mortis, absque periculo irregularitatis, dummodò proteſtetur, se id solum facere ad præcavenda mala, ut sine effusione sanguinis impediantur; siquidem hæc opinio habet pro se sex Doctores apud P. Fagund. lib. 8. Decal. cap. 5. num. 5. & cap. 48.
84. Secundò, posse etiam dici communem (licet ego de hac, & sequentibus rem non definiam,) opinionem, quæ asserit, hæreticos non esse statim denunciandos, ante correctionem fraternam, quando firmiter creditur ex prædictâ admonitione fore emendandos; siquidem habet pro se D. Thom. & septem alios Doctores apud P. Fagund. lib. 8. Decal. cap. 52. num. 83. Et à fortiori dicendum de crimine sollicitantium ad turpia in confessione. Et num. 81. addit, esse probabile, quod pœnitens non teneatur denunciare Confessarium sollicitantem, nisi sit quomodolibet diffamatus; nemo autem est infamis, nisi illius crimen, saltem duobus sit notum.
85. Tertio, si fuerint duæ opiniones oppositæ de eadem re, & utraque habeat pro se, aut sex, aut plures Doctores Classicos, qui utramque exactè ventilaverunt, utramque posse dici communem. Hinc est, quod opinio asserens, irregularitatem ex delicto esse veram censuram, sicque posse dispensari virtute Bullæ Cruciatæ, est simpliciter communis. Ita P. Sanch. lib. 9. de Matr. d. 32. in 21. & multi alii apud Dian. part. 1. tract. 11. resol. 27. Similiter etiam communis est opinio contrarium defendens, ut defendunt P. Soar. tomo 5. in 3. part. d. 40. sect. 3. n. 3. P. Fillu. tomo 1. tract. 11. cap. 1. num. 9. P. Reginal. tomo 2. lib. 30. tract. 2. cap. 3. sect. 3. n. 24. P. Mol. tomo 4. de just. d. 80. P. Henrig. lib. 14. cap. 17. n. 4. litt. L. & plures alii apud Dian. proximè. Utrum verò idem dicendum sit de opinione illa asserente,

Confessarium non teneri obligare ad retractationem Judæos conversos, qui exeuntes è carcere dicunt, se alios falsò accusasse? Affirmat P. Fagund. lib. 8. decal. cap. 41. num. 17.

Dico 2. Non idem est opinio tutior, ac probabilior; siquidem hæc dicitur illa, quæ efficacioribus nititur rationibus, & à pluribus defenditur: opinio autem tutior dicitur illa, quæ licet à paucioribus defendatur, & infirmioribus innitatur fundamentis, facit tamen hominem declinare ab omni peccato, & periculo peccandi, etiam materialiter; sicque opinio potest esse minùs probabilis, & tamen tutior: & esse minùs tuta, & tamen probabilior. Ita P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 9. num. 5.

Patet, quia opinio quædam asserit, quod debitor, aut latro satisfaciatur creditori, tradendo solutionem personæ fideli, nempe Confessario, ut tradat domino, etiam si de facto illum non tradat: & est alia opinio id negans etiam probabilis apud P. Fagund. lib. 7. decal. cap. 23. Tunc si illa alia opinio habeat pro se plures Authores, & rationes firmiores, erit quidem probabilior, non tamen erit tutior, quàm opposita; siquidem fur hanc sequendo, & adhuc restituendo, manebit certus, se neque materialiter peccasse; ac proinde tutior, & securior erit in conscientia.

Unde P. Azor. tomo 1. lib. 2. cap. 16. §. Ut in hac re, dicit eam opinionem esse tutiorem, quæ censet id, de quo est quæstio, esse peccatum: & eam esse minùs tutam, quæ censet non esse peccatum. Patet, quæstio est inter Doctores apud P. Azor. cit. utrum sit peccatum non confiteri hominem statim, postquam culpam commisit? Quædam opinio affirmat, & hæc est tutior; quædam verò negat, & hæc est minùs tuta, licet magis probabilis; siquidem prima declinat periculum peccati, etiam materialis; non ita verò secunda; potest enim contingere, quod à parte rei detur præceptum de tali confessione; ac proinde quod sit peccatum, saltem materiale, illam omittere; qui autem sequitur opinionem tutiorem, non solum moraliter, sed etiam physicè est certus, quod neque materialiter peccat.

Hinc deducitur, non esse audiendum Joan. Sanch. & alios apud P. Bard. cit. cap. 7. negantes, dari opinionem probabilem tutiorem, quàm oppositam etiam probabiliorem. Et ratio illorum est, quia quoties opinio est probabilis, sumus certi, quod non peccamus, si secundum illam operemur; ergo non magis in una, quàm in alia sumus tuti, & securi à periculo peccandi; consequenterque utraque est tutior, quando utraque est probabilis.

Sed contra, quia debitor in casu supra posito, si iterum restituat, habet certitudinem; non solum moralem, sed etiam physicam, quod non peccet; si autem non restituat, solum illam habet moralem; atqui certitudo physica longè superat moralem; hæc enim est fallibilis, idcirco in Deo ejusque scientiâ non admittitur, maxime verò certitudo physica; ergo inter duas opiniones probabiles potest una aliquando esse tutior, & securior aliâ; licet id non semper contingat, aliquando enim possunt esse æquè tuta, ut notat idem P. Azor. cit. adducitque in exemplum duas illas opiniones, quarum una affirmat, & altera negat, quod Judex possit damnare ad mortem hominem, quem novit innocentem, probatum tamen nocentem; dicit enim, utramque esse æquè tutam; siquidem quamcumque sequatur, aut peccati periculum incurrit; aut à peccato est omnino liber justam excusationem habens; sicque in tali casu solum videndum est, qualisnam sit probabilior.